



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Dispytatio CXXII. De condonatione extrinsecâ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

perfectum, qui conceptus sine formâ intrinsecâ videtur haberi in rigore non posse, quicquid sit de sanctitate aliqua imperfecta & metaphorica. Et idem existimo de conceptu *justi*.

XI. *Silatio adoptiva fieri potest per denominationem extrinsecam.*

Quoad conceptum verò *Filii adoptivi*, si per Filium adoptivum non intelligatur aliud, quam quòd aliquis extrinsecè eligatur ad gloriam & beatitudinem, non video cur hoc facere nequeat Deus alicui, etiamsi nullam habeat gratiam habitualem, atque cum adoptare & dare jus ad hereditatem caelestem & aeternam, sicut homo unus alium adoptat ad hereditatem temporalem & terrestrem. Hæc tamen adoptatio non est tam perfecta, ac illa quæ fit per gratiam, aut aliam hujusmodi formam intrinsecam.

Idem censeo de denominatione *amici*: si enim per amicum solum velit quis, Deum decernere tot ac tanta, alicui bona concedere, quot concedere solet amico, potest is hoc sensu dici Dei amicus, cum enim singulari quadam ratione bene ei velit Deus, singularem etiam dici poterit ad se terminatam habere Dei benevolentiam & amorem. Existimo nihilominus, quanta ea cunque fuerint bona, quæ in ipsum confert Deus, nisi inter illa sit vel unio hypostatica, vel visio beatifica, vel gratia habitualis, vel forma aliqua sanctificans, hominem illum, quantumvis sit amatus à Deo, non futurum propriè Dei amicum.

XII. *Denominatio amici potest provenire à denominatione extrinsecâ.*

## DISPUTATIO CXXII.

### De condonationem extrinsecam.

**D**E NOMINATIONEM sancti & justi diximus sine formâ intrinsecâ dari non posse, sed ad hunc effectum, vel gratiam habitualement, vel quid simile in animâ existens esse necessarium. Nunc ergo ulterius inquirimus, utrum saltem sine hujuscemodi formâ intrinsecâ transire quis possit de peccatore in non peccatorem, ita nimirum ut nec gratiam habeat, nec peccatum: qua de re non levis est inter Theologos controversia, & ex æquo fermè divisi sunt Auctores, acriterque & prolixè de hac questione inter se disceptant: illam ego qua potero brevitate expediam.

#### SECTIO PRIMA.

##### Vtrum peccatum condonari possit extrinsecè.

I. *Non est hic sermo de actu quo peccatum retrahitur.*

**N**ON hic quarimus an ad peccati remissionem requiratur dolor aliquis ex parte illius qui peccatum admisit, per quem scilicet illud retrahet, hoc enim propriè spectat ad materiam de poenitentia, ubi Deo dante examinabitur sed sive ponatur in peccatore actus retractationis sive non, quarimus utrum Deus per actum aliquem suæ voluntatis peccatum condonare possit, an ad peccati ablationem necessaria sit gratia habitualis, vel alia forma intrinsecâ oppositionem habens cum peccato, ut magis declarabitur numero sequente. Quamvis autem hæc disputatio præcipuè procedat de peccato personali, aliqua tamen subjungam de originali.

II. *Actum aliquem poenitentia ad peccati remissionem de lege ordinariâ requiritur.*

*Quarimus ergo, num per divinam*

Peccata itaque mortalia de facto remitti diximus per formam intrinsecam, illam scilicet, per quam homo justificatur, quæ ubi infunditur peccata omnia mortalia expellit, & transfert de statu peccati in statum Filiorum Dei. Hic ergo quarimus, utrum saltem per divinam potentiam possit peccatum per condonationem extrinsecam seu voluntatem Dei, nihil in subiecto producendo intrinsecum remitti, imò nullo præcedente actu ex parte hominis justificandi. Dixi per divinam potentiam, de

lege enim ordinariâ requiri saltem actum aliquem poenitentia ad remissionem peccati alibi ostendimus. Imò Suarez & alii putant hoc esse de Fide ob varia Scripturæ loca, poenitentiam ad peccatorum remissionem requirentia.

Notandum, sermonem hic esse de peccato habituali, non actuali, saltem ut plurimum, hoc namque pro uno saltem instanti remitti nequit, nec enim tolli potest dum est, quicquid autem est, unico instanti sit necesse est: existimo tamen in aliquo vero sensu remitti posse peccatum actuale, quando etenim quis in instanti A. commisit peccatum aliquod mortale, potest Deus immediatè postea ei infundere gratiam, per quam peccatum illud remittatur, sed in hoc casu nunquam fuit in illo homine peccatum habituale, sed solum actuale, ergo. Quod idem esset, si quis per quadrantem, vel horam in eodem peccato actuali persisteret & primo instanti quo cessaret, Deus ei infunderet gratiam.

Notandum secundò, in peccato habituali tris reperiri, primò hoc quod est peccasse, quod nunquam tollitur nec tolli potest: secundò maculam moralem, quæ consistit in ipso actu præterito mortaliter manente: tertio privationem gratia, hæc (quidquid sit utrum in ratione peccati tolli possit per condonationem extrinsecam, de quo postea) propriè auferri nequit, nisi per mutationem Physicam, gratiam scilicet ipsam animæ infusam.

Prima sententia negat posse peccatum per solam condonationem extrinsecam, & sine vel gratia habitualis

III. *Sermo est præcipuè de peccato habituali.*

*Quo sensu potest peccatum actuale remitti.*

IV. *Tria quædam præsentem in peccato habituali repeririuntur.*

V. *Prima sententia negat*

peccatum  
posse per  
sonam con  
dona  
tionem  
extrinsecè,  
vel divini  
us remitti.

habitualis infusione, vel saltem mutatione aliqua physica in peccatore facta remitti: ita sentire videtur Richardus, Durandus, & alii nonnulli ex antiquis, tenet Cajetanus hic, quaest. 113. art. 2. Valentia hic, quaest. 5. puncto 5. Bellarminus lib. 2. de Justificatione, cap. 16. Maratus d. 10. sect. 2. Pater Turrianus opusculo 6. d. 3. Lorca hic, d. 36. Amicus hic, disp. 33. sect. primâ, num. 15. idem docet Vasquez d. 207. cap. 1. de peccato actuali. Disp. verò 206. num. 10. concedit peccatum originale non solum sine gratia habituali, sed etiam sine ullâ mutatione physica peccatoris tolli posse.

VI.  
Probabilis  
est, posse pec  
catum per  
meram con  
dona  
tionem  
extrinsecam  
remitti.

Secunda & probabilior sententia affirmat peccatum per meram condonationem extrinsecam remitti posse: ita S. Bonaventura in 4. d. 17. q. 1. Halensis, Scotus in 4. d. 1. q. 8. & d. 14. quaest. 1. Gabriel, Okam & alii, Suarez tomo 4. in 3. p. d. 9. sect. 4. & lib. 7. de Gratia, cap. 23. Tannerus hic, Disp. 6. quaest. 5. dub. 4. estque communis inter Recentiores opinio.

VII.  
Inefficax  
probatio  
condona  
tionis ex  
trinsecæ  
peccati.

Probabit fortassis aliquis: potest enim Deus hominem in peccato existentem annihilare, & post horam vel diem eundem sine peccato & gratia reprodúcere; ergo sine doni ullius intrinseci infusione tolli potest peccatum. Hæc tamen inefficax videtur hujus conclusionis probatio, responderi namque potest, peccatum in hoc casu non tolli, sed reproducto homine, in illius animâ habitualiter ut antea persisteret: sicut quoad originale peccatum contingeret, si Deus puerum ante baptismum annihilaret ac denuo reprodúcere; hic etenim puer non minus haberet peccatum originale, & debitum suscipiendi baptismum, quam ante: si ergo peccatum alienâ voluntate contractum, reproducto subiecto, in illo persisteret, quanto magis voluntate & libertate propria commissum.

Quid si Deus  
peccatorem  
annihilaret,  
& reprodúc  
eret.

VIII.  
Deus produ  
cendo subie  
ctum non est  
causa pecca  
ti in eo re  
sultantis.

Neque hinc sequitur Deum causam esse illius peccati, sicut nec modo producendo animam pueri est causa peccati originalis; Deus namque solum producit subiectum, ad quod, vel propria vel alienâ voluntate sequitur moraliter peccatum, Deo in illud nullo modo influente. Hoc ergo argumento relicto,

IX.  
Cum homi  
nes injurias  
sibi invicem  
extrinsecè  
condonant,  
quibus idem  
homini pra  
stare poterit  
Deus.

Probatur Conclusio primò: homines namque sibi invicem offensas & injurias merè extrinsecè, seu nihil intrinsecum in eo, cui injuria remittitur, producendo condonant, nec tantum relaxant penam, sed princeps exempli gratia ita noxam contra se vel rempublicam factam condonat, ut non solum non puniatur is qui offendit, sed deinceps non censetur dignus pena, & injuria ei fiet si postea puniatur; ergo non est cur saltem per divinam potentiam prestare id non possit Deus.

X.  
Peccata ve  
nialia per  
condona  
tionem extrin  
secam tolli  
tur, ergo eo  
dem modo  
tolluntur  
mortalia.

Secundò probatur: peccata siquidem venialia, ut in materia de penitentia ostendi, tolli possunt per condonationem extrinsecam, etsi enim concomitanter fortasse simul cum eorum remissione infundatur gradus aliquis gratia habitualis, hæc tamen disparatè se habet ad illorum remissionem, utpote nullam cum his peccatis habens repugnantiam, gratia namque, etiam valde intensa, stare potest cum peccatis venialibus, ut constat in maximis quibusdam sanctis. Nec satisfacit quod ait Vasquez, gratiam scilicet collatam eâ intentione, ut per illam tollatur peccatum veniale, cum peccato illo pugnare: contra enim est; nam hinc sequitur gratiam non habere oppositionem cum peccato veniali, sed merè decretum liberum Dei tollendi peccatum posita gratia; sicut si Deus decretum

Quod gratia  
habet oppo  
sitionem cum  
peccato ve  
niali, non

haberet illud tollendi intuitu actus Fidei, aut Spei vel atutionis, ergo gratia non habet physicam cum peccato veniali oppositionem, sed tantum moraliam, quatenus scilicet hic & nunc est conditio movens Deum ad decretum tollendi peccatum, qui potuisset ad hoc non moveri à gratia, sed merè à se, & tunc remisisset illud extrinsecè. Verum est quidem formas quasdam, qualis est visio beata, & idem est de unione hypostatica, tollere peccata venialia, sed hæc non possunt cum iis stare, sicut potest gratia. Unde gratia non habet cum peccatis venialibus oppositionem, sed solum decretum illud Dei tollendi hæc peccata, quod proinde si ponatur sine gratia, eodem modo illa tollit.

sequitur il  
lud non con  
donari ex  
trinsecè.

Res quodam  
physicam  
habent cum  
peccato ve  
niali oppo  
sitionem.

Probatur tertio: Deus enim merè extrinsecè potest alias obligationes, ut voti &c. relaxare, licet votum ipso facto quod Deus illud semel acceptet, seu ostendat promissionem illam hominis sibi gratam esse, obliget ex natura sua, idque perpetuo, sine aliqua voluntate Dei, illius positive quasi conservativa, ergo & circa peccatum Deus idem prestare potest. Confirmatur: alioqui non posset Deus homini in pura natura constituto peccatum mortale remittere, illum in pura natura relinquendo, cum nulla forma merè naturalis sit, quæ cum peccato mortali habituali ex natura sua pugnet.

XI.  
Deus alias  
obligationes,  
ut voti, &c.  
potest rela  
xare extrin  
secè; ergo  
& peccatum  
eodem modo  
remittitur.

SECTIO SECUNDA.

Objectiones contra condonationem extrinsecam peccati.

Obijcies primò sanctum Thomam hic, q. 113. art. 2. ubi sic habet: Ideo non possit intelligi remissio culpa, si non adesset infusio gratia, ergo juxta S. Thomam condonari nequit peccatum extrinsecè. Respondetur primò, non loqui S. Thomam de potentia absolutâ, sed solum de ordinariâ, & ex suppositione ordinationis divina, qui in hoc rerum statu decrevit peccatum mortale nunquam, nisi per infusionem gratia remittere, ut S. Doctor explicat Cajetanus hoc loco, Suarez & alii. Secundò dici potest, loqui S. Thomam de potentia etiam absolutâ, & solum velle non posse sine gratia, aut alio hujuscemodi dono intrinsecò ita remitti peccatum, ut homo constituitur justus, & amicus Dei, ac dignus vitâ aternâ; ad hos enim effectus clarum est requiri gratiam, aut aliud aliquod donum intrinsecum, ad denominationes istas tribuendas idoneum.

I.  
Ostenditur  
S. Thomam  
non negare  
posse pecca  
tum conda  
nari extrin  
secè.

Homo per  
condona  
tionem extrin  
secam non  
constituitur  
justus.

Obijcies secundò: remissionem peccati in hac sententiâ de condonatione extrinsecâ, fieri per non imputationem ejusdem peccati, sicque incidimus in opinionem hæreticorum, ab Ecclesiâ damnatam, & supra à nobis rejectam. Respondetur, sententiam quam sequimur de condonatione extrinsecâ peccati longè diversam esse ab errore hæreticorum; ipsi enim aiunt peccata per hanc non imputationem non tolli, sed regi solummodo, ac veluti pallio quodam occultari. Unde secundum illos, ut disputatione præcedente fufius ostendi, manet etiamnum in celo scabies peccatorum, & purulenta illa ac fetida vulnera, sordesque omnes, quas in hac vitâ contraxerunt, quamvis hæc asserant ad culpam & penam à Deo non imputari: sententia autem de condonatione extrinsecâ doceat peccata verè tolli ac remitti, & non solum non imputari.

II.  
Opinia de  
condona  
tionem extrin  
secâ peccati  
non coincidit  
cum non im  
putatione  
hæreticorū.

Secundum  
scilicet non  
tolluntur sed  
solum regu  
tur peccata.

Obijcies

III. Dicitur: Deus non potest merè per decretum suum extrinsecum tollere peccatum intrinsecum.

Resp. Posse Deum merè per suam voluntatè tollere formam moralem intrinsecam.

IV. Quo pacto voluntas condonans sit incompossibilis cum peccato.

V. Ostenditur voluntatem condonantem non habere se pro objecto.

VI. Dicitur: Hac Dei voluntas nec dici potest formalis sublatio peccati, nec virtualis.

Resp. Condonationem tollere peccatum per modum denominationis cum eo incompossibilis.

Objicies tertio: homo ubi semel peccavit, manet intrinsecè per hoc peccatum maculatus, idque sine alio decreto Dei, quàm sit illud prius permittendi peccatum; ergo non potest hoc tolli per meram voluntatem Dei sine aliquo intrinsecò, Deus namque per suam voluntatem immediate non potest nisi ea tollere, quæ ab illius influxu pendent, quales sunt res omnes physicae. Respondetur negando consequentiam, licet etenim Deus non possit aliquid reale physicum tollere nisi suspendendo concursum, potest nihilominus tollere formam moralem: & quamvis per suam voluntatem immediate tribuere nequeat effectum aliquem formalem physicum, ut esse calidum, frigidum, &c. sicut tamen potest tribuere effectus aliquos & denominationes morales, ita & potest eos tollere. Adde si non condonatio sit aliquid peccati habitualis, de quo dictum est in materia de peccatis, facillè tunc intelligitur quomodo per voluntatem Dei condonantem tollatur peccatum habituale.

Objicies quarto: explicari siquidem non potest, quo pacto voluntas Dei tollat peccatum, utpote quæ non est cum eo incompossibilis. Respondetur voluntatem Dei condonantem formaliter opponi peccato, quatenus scilicet denominat hominem jam veniam donatum, hæc autem denominatio flare nequit cum denominatione non condonati, & peccatoris: hæc siquidem denominationes sunt virtualiter contradictoriae.

Objicies quinto: hanc Dei voluntatem habere se pro objecto, tollit enim peccatum volendo ut remittatur, ergo vult remissionem seu condonationem, sed condonatio est ipsemet actus voluntatis, ergo actus ille vult seipsum. Respondetur negando antecedens, ut latius sectione sequente ostendetur, sed actus ille condonativus Dei, per se & directè in actu exercito tollit peccatum tanquam forma illi opposita. Unde licet Deus habere possit alium actum reflexum & imperantem, quo velit condonare peccatum, ille tamen non est ipsa condonatio, sed alius actus prior, & imperans actum condonativum.

Objicies sexto: vel hæc voluntas Dei qua condonat peccatum, est ipsa formalis illius sublatio, sicut lux tollit tenebras, vel solummodo radicalis: non primum, id enim per quod formaliter tollitur peccatum est ipsum non esse peccati, sicut gratia vicissim tollitur per privationem ipsius gratiæ, & sic de cæteris. Unde quoad non esse peccati eodem planè modo se habet post condonationem, ac antequam peccasset, nisi quòd adhuc maneat hæc denominatio, quod nimirum peccaverit. Nec etiam condonatio radicaliter solum tollit peccatum, sicut frigus calorem, sic namque dari deberet alia causa destruens peccatum substrahendo ab eo concursum, sicut fit in destructione caloris. Respondetur: si non condonatio sit aliquid spectans ad essentiam peccati habitualis, tunc per condonationem peccatum quoad hanc partem tollitur contradictoriè, condonatio siquidem opponitur contradictoriè non condonati. Secundo universim dici potest condonationem tollere peccatum per modum formæ vel denominationis, metaphysicè cum eo incompossibilis in denominando, sicut lux tollit tenebras, licet nonnulla sit differentia, & ad eum potius modum hic accidit, quo gratia tollit peccatum habituale, id est per se & immediate, non quòd petat illud ab alio destrui. Secus res se habet ante primum lapsum, tunc enim alio titulo censetur abesse peccatum habituale, quia scilicet adest realis negatio actualis peccati præteriti, utpote quod quis nun-

quam commisit.

Objicies septimo: hæc condonatio est forma extrinsecæ, peccatum autem habituale quid animæ intrinsecum, forma autem intrinsecæ tolli nequit per extrinsecam, hæc sequidem non ita replet capacitatem ut alteri non relinquat locum. Respondetur non tolli hic peccatum per modum oppositionis physicae, cum nec condonatio nec peccatum habituale physicè insit animæ: tollitur ergo per condonationem modo jam dicto, nimirum instar formæ dantis denominationem metaphysicè cum peccato habituali incompossibilem.

Objicies octavo: duo sunt in peccato habituali nempe quòd sit injuria contra Deum, & quòd sit labes naturæ rationalis: licet ergo sub primâ ratione tollere illud possit Deus per condonationem extrinsecam, sub secunda tamen non potest, nisi pulchritudinem aliquam infundendo quâ animæ feeditas per peccatum contracta auferatur. Respondetur: cum Deus sit supremus dominus & iudex, potest peccatum sub omni ratione offensæ per condonationem tollere: cum ergo etiam ut contrarium naturæ rationali, sit culpa & offensæ, saltem materialis, potest à Deo hoc modo tolli. Adit Suarez citatus num. 21. non manere transacto actu peccatum, nisi sub ratione injuriæ Deo factæ: ob quam tandem odit Deus peccatorem donec offensam illi remittat, de quo plura dicta sunt in materiâ de peccatis.

SECTIO TERTIA.

Solutione alterius difficultatis declaratur voluntas, qua Deus extrinsecè condonat peccatum.

Objicies nono: hanc Dei voluntatem, qua extrinsecè tollit peccatum, explicari non potest, ergo nulla est: antecedens probatur, nec enim est voluntas, quâ velit peccatum non fuisse, hoc enim implicat, nec quâ vult illud non esse nunc, hoc siquidem idem est, ac velle peccatum esse remissum, sic autem vellet ipsam remissionem seu condonationem, & haberet se pro objecto: tertio non est voluntas, qua velit illud physicè non esse, cum physicè dudum esse desierit, & peccatum habituale nil sit physicum. Si verò tandem dicatur actus remissivus, volo ut peccatum non sit moraliter, idem est ac dicere volo illud remittere, quod jam est impugnatum. Ob quam etiam causam hic actus non est, volo destruere titulum odii ex peccato ortum, sic quippe vellet etiam seipsum, utulus siquidem iste est actus peccati præteriti, & negatio condonationis, ergo deberet velle negationem non condonationis, quæ est ipsissimus actus condonativus.

Ut varias, quas apud diversos video, hunc nodum solvendi vias, confusione plenissimas omitam, quæ videri possunt apud Joannem Cardin. de Lugo tomo 1. in 3. p. Disp. 3. sect. 5. & P. Arrigam Disp. 2. de legibus, sect. 3. Respondetur cum doctis quibusdam recentioribus qui rem hanc bene explicant, objectum voluntatis divinæ remittentis peccatum nullo ex prædictis modis statui debere, ut rectè in objectione ostenditur. Condonatio itaque est actus, quo Deus ex affectu benevolentia erga peccatorem optat ut nunquam peccasset. Hic verò actus, licet sit inefficax respectu peccati commisi sub ratione præteriti, cum peccatum

VII. Cùm peccatum habituale non sit quid physicè intrinsecum animæ, sed tantum moraliter, potest tolli per condonationem.

VIII. Dicitur: Peccatum ut est labes naturæ rationalis non potest tolli per condonationem.

Resp. Deum, ut supremum Dominum posse peccatum sub omni ratione tollere.

I. Obj. Explicari non potest quomodo sit hæc voluntas condonans peccatum extrinsecè.

II. Resp. Voluntatem hanc condonantem extrinsecè peccati esse actum quo Deus ex benevolentia erga peccatorem optat ut nunquam peccasset.

peccatum semel commissum nequeat Deus velle absolutè non esse commissum, hoc quippe videt esse impossibile, est tamen efficax ad maculam peccati tollendam: sicut actus penitentiae quo quis dolet de peccato à se commissio, quamvis non sit absolutus & efficax respectu peccati praeteriti, avertit tamen voluntatem efficaciter dum durat ab omni peccato futuro.

III. *Hic actus benevolentia, quo Deus condonat peccatum, magis in particulari declaratur.*  
 Non ergo dicit Deus in actu signato, volo destruere peccatum (saltem hic non est actus, quo illud formaliter & immediatè destruit, sed ad summum remotè & imperativè) sed exercens verum affectum benevolentiae erga peccatorem, tollit in actu exercito maculam peccati in eo manentem: affectus autem hic benevolentiae est ejusmodi, quo scilicet Deus videns peccatum prius commissum esse ex se nocivum Petro pro tali instanti, displicet de illo ut pro tali instanti mali alicujus respectu Petri causativo, & hac de causâ optat ut is peccatum illud non admisisset, quia scilicet ex naturâ suâ est illi malum & nocivum, aptumque gravia ei incommoda pro tali instanti inferre.

IV. *Abus hic benevolentia, talis energia esse debet, ut odium erga peccatorem excludat.*  
 Addo tamen actum hunc benevolentiae, ejusmodi ex modo tendendi esse debere, ut licet non velit absolutè peccatum non fuisse, talis tamen sit energia, ut affectum odii erga peccatorem, saltem hoc titulo excludat, hic enim actus dat quantum est ex se denominationes contrarias denominationibus actus peccaminosi praeteriti. Solum autem fertur Deus per hunc affectum in actum praeteritum secundum se, & prout aptus est radicaliter inferre malum pro illo instanti pro quo remittitur, non ut est tunc inferens malum, eo enim instanti, quo condonatur, non infert malum, cum tunc non existat.

SECTIO QUARTA.

Inferuntur quaedam circa condonationem extrinsecam peccati.

I. *Magis solvitur hac difficultas, si actus liber Dei non sit adequatè intrinsecus.*  
 Hinc infero primò, difficulter intelligi modo condonari possit peccatum extrinsecè in sententiâ asserente actum liberum Dei esse partim intrinsecum partim extrinsecum, ut ostendi prima parte dum de actu libero, ac proinde vel ob hanc & similes difficultates melius esse illum statueri adequatè intrinsecum, ut ibidem latè ostensum est.

II. *Peccatum autè actuale condonari potest extrinsecè.*  
 Infero secundò, juxta dicta initio sectionis primae, non habituale tantum peccatum, sed actuale, posse condonari extrinsecè, non quidem pro eo instanti vel tempore, in quo est, sed pro sequente.

III. *Potest unum peccatum mortale extrinsecè condonari sine alio.*  
 Tertio: etsi quando per infusionem gratiae tolluntur peccata, non possit unum mortale tolli sine alio, cum gratia omnibus mortalibus repugnet, per condonationem tamen extrinsecam potest unum peccatum mortale condonari sine alio. Ratio est, quia nulla est repugnantia quo minus actus ille divinus, ad unum ex illis peccatis terminetur non ad aliud, sicut contingit in venialibus.

IV. *Affectus benevolentia non impedit quo minus unum mortale remitti possit, non omnia.*  
 Nec refert quod sit actus benevolentiae: quivis enim actus benevolentiae non tendit ad omne malum avertendum, sicut nec ad omne bonum conferendum, nisi sit actus benevolentiae omnino universalis, & illimitatus, qualis non est necessariò omnis actus benevolentiae; sic enim in humanis ex benevolentia erga amicum potest quis velle hanc

vel illam rem in particulari ei dare, non tamen quamcumque, nec quodvis incommodum ipsius gratia perpeti, licet ad aliqua perpetienda sit paratus. Imò homines frequenter, etiam ex amore erga Deum volunt unum praestare, nempe dare eleemosynam, non tamen jejunare, & econtrâ. Tandem Deus ex misericordia aut benevolentia erga hominem, unum veniale eidem remittit, non omnia; ergo idem fieri, saltem divinitus, potest in mortalibus: quod tamen facilius fit, quando peccata mortalia secundum rationem formalem, notabilem aliquam habent differentiam.

*Omnis actus benevolentia non est pland universalis*

Infero quartò, condonare Deum posse peccatum mortale extrinsecè, non solum in naturâ purâ, & ubi nulla est obligatio habendi gratiam, sed etiam jam in naturâ elevatâ. Dices, in hoc statu non actus tantum praeteritus, moraliter permanens, sed ipsa etiam privatio gratiae est peccatum; ergo ut tollatur peccatum, utrumque tolli debet, sed privatio gratiae tolli alio modo non potest, quam per suum contradictorium, seu productionem gratiae, ergo. Respondetur tamen, etiam in hoc statu posse sine infusione gratiae tolli, non solum actum moraliter manentem, sed etiam privationem gratiae, non quidem physicè, sed in ratione peccati; ipso facto enim quod remittatur peccatum, seu actus praeteritus adequatè in ratione nocivi, tollitur eadem operâ privatio gratiae sub ratione privationis ac maculae, & permanet tantum sub ratione negationis, sicut eadem carentia in naturalibus, ratione aptitudinis vel ineptitudinis subjecti de privatione transit in negationem, & transfret negatio gratiae à privatione in puram carentiam, si Deus pro certo solum aliquo tempore hominem ad gratiam ordinaret, pro illo enim tempore gratia esset debita, & consequenter illius carentia tunc foret privatio, pro alio autem tempore gratia non esset debita, sicque ipsius carentia non foret privatio, sed pura carentia, sicut esset in statu purae naturae.

V. *Potest Deus in naturâ etiam elevatâ condonare peccatum mortale extrinsecè*

*In hoc statu natura elevatâ potest privatio gratiae tolli in ratione peccati, licet non infundatur gratia.*

*Privatio gratiae de privatione transfret potest in puram carentiam.*

Infero quintò consequenter ad praedicta: quando in eodem actu peccati quod quis commisit, sunt plures species malitiae, posse unam malitiae speciem condonari, non condonari aliâ. Ratio eadem est quae in praecedentibus.

VI. *Una species malitiae condonari potest sine aliâ.*

SECTIO QUINTA.

Alia nonnulla de condonationem extrinsecâ peccati.

I. *Aliquod peccatum originale condonari potest extrinsecè, licet consideratio privationis gratiae.*  
 Infero sextò cum Vasquez hic d. 206. & d. 213. aliquod peccatum originale posse condonari extrinsecè, idque licet dicatur consistere in privatione gratiae, seu justitiae originalis. Ratio est: quamvis namque de facto debitum habendi gratiam in hoc statu rerum ob decretum Dei sit perpetuum, & consequenter privatio gratiae, & macula seu peccatum originale similiter perpetuum, nulla tamen, ut dixi, est repugnantia quo minus Deus statuat ut gratia habitualis sit debita solum pro tali tempore, quod si faceret, peccatum etiam illud originale solum esset temporaneum, & consequenter adveniente tali instanti privatio gratiae cessaret in ratione privationis, cum gratia post illud instans non foret amplius debita, sed transfret in puram carentiam, sicque merè extrinsecè tolleretur illud peccatum originale, vel potius expiraret, ut bene Suarez lib. 7. de gratiâ, cap. 23. num. tertio.

Infero

II.  
Peccatum originale, etiam prout iam est in hoc statu, potest condonari extrinsecè.

Infero septimò: etiamsi statuatur macula peccati originalis, seu privatio gratiæ, sicut de facto est, nempe ex se perpetua, eò quòd gratia ex decreto Dei sit semper debita, adhuc tamen esse probabilius, posse peccatum originale condonari extrinsecè: quidni enim, ut supra diximus, de peccato habituali poterit Deus considerans peccatum Adæ, ut tali parvulo nocivum, displicere de illo, & ex affectu benevolentie erga talem parvulum, optare quasi ut Adamus non peccasset, ex quo affectu determinatur ad deponendam specialem displicentiam, quam habuit de privatione illa gratiæ, ut procedit à peccato Adami.

III.  
Affectus hic benevolentie erga parvulum tollit peccatum in actu exercito.

Dices: decretum Dei de habendâ gratiâ habituali est perpetuum; ergo mutari non potest; ergo adhuc manet debitum in illo parvulo habendi gratiam habitualem; ergo illius privatio erit adhuc peccatum. Respondetur: non amplius manere in parvulo debitum illud habendi gratiam habitualem, non quòd Deus mutet decretum, nec debitum illud tollat in actu signato, sed in actu exercito, quatenus nimirum hic affectus benevolentie quoad hoc æquivalet gratiæ

habituali: & licet non ponat gratiam ipsam, dat tamen denominationem peccato repugnantem.

Infero octavò: nil obitare, quo minus Deus, quamvis non actu absoluto & efficaci, conditionatè tamen & per quandam velleitatem velit aliquid impossibile, ita nimirum ut solum quantum est ex se in illud feratur. Unde Salas tomo primo in 1. 2. tract. 6. disp. 1. sect. quintâ, ait Deum quæcumque entia impossibilia hoc modo sub conditione possibilitatis, seu quantum est ex se velle: & Suarez lib. 7. de Angelis cap. 12. num. 20. idem passim concedit de Angelis. In iis verò quæ sunt impossibilia tantum per accidens, multò minor videtur difficultas; voluntas namque Dei in id solummodo fertur, quod simpliciter, & secundum se est possibile, in negationem scilicet peccati in præsentis casu, quam tamen, ex eo quòd videat de facto hominem peccasse, non potest absolute & efficaciter velle, cum noverit absolute jam fieri non posse ut non peccaverit, qua de causâ solum vult negationem illam conditionatè & inefficaciter, seu quantum est ex se.

IV.  
Deus quamvis non absolute, actu tamen conditionato ferri potest in impossibilia.

De impossibilibus solum per accidens minor est difficultas.

